



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 25. De prærogativis humilitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

Novembes.

Noli anxius esse de iis, quæ ad Prædestinationem spectant; sed nitere interea eam tibi certam reddere laborando, ut Christo similis evadas.

Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Rom. 8. 29.

Si multum de nobis sentimus, dignemur eum imitari, qui Filius Altissimi vocatur. Aug.

DIES XXV.

De Prærogativis Humilitatis.

I.

Humilitas gratiæ plenitudinem nobis accersit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Optima præparatio ad dona Dei accipienda est, esse humilem. Ad quem autem respiciam, inquit Spiritus sanctus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu? Quinam sunt ii, quos Deus cum gaudio respicit in cælo, & & in terra? sunt animæ humiles: qui in altis habitat, humilia respicit in cælo, & in terra. Sic Beatissima Virgo affirmat, se per humilitatem oculos Dei ad se rapuisse, ejusque

1. Petr. 5.

v. 5.

Luc. 3. 5.

Isa. 66. 2.

2. Cor. 1. 12.

1. Cor. 13. 6.

que cor lucrata fuisse. Hæc gratiâ November.
plena non fuit, nisi, quod seipsa fuerit vacua. Mater Dei, & supra omnes res creatas exaltata fuit, quia humillima fuit. Si qua creatura in mundo Beatissima Virgine fuisset humilior, tum illi fuisset præhabita. Heu me! si tam pauper, & gratijs nudus sum, cui id, nisi mihi met ipsi tribuam? superbia mea pauperem me reddidit. Simus nobis ipsis vacui; & Deus nos implebit: simus pauperes Spiritu, tum divites erimus gratijs.

II. Humilitas felicitatem, & pacem nobis accersit. *Quis restitit ei, (Deo) ut* *Iob. 9. 40*
superbus facit, & pacem habuit? at cui unquam pax deficit, si verè humilis fuit? pax hæreditas est animarum humilium non minùs, quàm illarum, quæ bonæ sunt voluntatis: cum quis enim humilitatem habet, bona quoque voluntate non caret; & voluntas bona esse non potest, si humilis non est. Quid nos tristes efficit, & inquietos? plerumque superbia: vituperamur, contemnimur, uni æquamur, alteri postponimur, non eam nostri æstimationem, vel locum obtinemus apud alios, quem mereri nobis videmur; id superbiam nostram offendit, id pacem nostram turbat, id in maiorem nos conijcit: sed hoc
mo.

Novembris. mo, qui verè humilis est, ab omnibus molestiis tutus est; si contemnatur, meritò id fieri credit; nam seipsum contemnit. Si alijs posthabetur, eos sibi ipse præfert; si nemo ipsius recorderetur, ipse primus sui obliviscitur, sic semper habet, quod desiderat, semper pacem suam invenit, qui semper contentus vivit.

Matth. 23. 12. III. Humilitas per fugam honorum majorem nobis honorem affert, quàm desiderare possimus: *qui se humiliat, exaltabitur*, inquit Servator. Si primum locum in Convivio mereri cupis, postremum occupare incipe: humilitas est via tam brevis, & secunda ad gloriam pertingendi; ut ipsimet superbi videantur eam eligere, ut ad eam evehantur. Hi si humilitatem non habent, eam simulant; si veritate hujus virtutis carent, ejus saltem speciem habere conantur, rati, non nisi per hanc obtineri hominum æstimationem. Si superbiâ laborant, eam regunt, probe gnati, se nullam aliam ob causam, quàm ob hanc magis fieri abjectos. Deus humilibus utitur ad maxima sua consilia, gloriæ suæ curam lubens eis committit; quòd ei certò conster, eos illam sibi non arrogaturos, nec cum Deo partituros. Atque ita, dum gloriam Dei promovent, quàm

quam unice quærunt, gloriam propriam **Novem-**
 inveniunt, quam non quærunt, Deo ean-
 dem ipsis tribuente, ad remunerandam
 eorum humilitatem.

*Si paupertatem tuam cognoscis, tum ista co-
 gnitio in te procreabit humilitatem; sed humi-
 litas paupertati tuæ medebitur per gratias,
 quas tibi conciliabit.*

Omnes autem humilitatem insinuate;
 quia Deus superbis resistit; humilibus au-
 tem dat gratiam. *1. Petr. 5. v. 5.*

Videte magnum miraculum: altus est
 Deus; erigis te, & fugit à te, humilias
 te, & descendit ad te. *Aug. in Psal.*

DIES XXVI.

Praxis Charitatis erga Pro- ximum.]

I.

Charitas in proximum ut sincera sit,
 efficax esse debet: ut verò sit efficax,
 rescindere debet vitia sibi contraria, quo-
 rum Apostolus meminit. hæc rescindit
 Iram, amaros animi sensus, actiones
 noxias, verba inurbana, non irritatur; *1. Cor. 13. 5.*
 Invidias, quæ faciunt, ut promotionem
 alte-